

vera salus et firmiter credere postnotatis. Quoniam humane conditionis opera in oblivionis interitum deducitur processu temporis, necessarium denuo esse dinoscitur ut ipsa opera litterarum testimonio et sigillorum munimine roborentur. Noscat igitur presens etas et sciat futura posteritas, quod ego Swigerus miles predictus, Zelo divini pneumatis inflammatus Monasterio sancte Marie in Fabaria, Abbati et fratribus Christo devote deservientibus ibidem in remedium anime mee et uxoris mee legitimum Curiam meam sitam in Mure in dem Oberndorf, cum universis suis appendiciis ac proprietatibus, sive in agris, sive in pratis, sive in lignis, sive in quibuscunque iuribus predictae curiae ab antiquo annexis contuli et confero per presentes dicto Monasterio predictam curiam tenendam titulo proprietatis et perpetualiter possidendam cum omni jure et utilitate, renuntians tenore presentium iuri meo, quod mihi vel uxori mee in sepedictam curiam competere videbatur Tali tamen conditione adiecta, quod predictus Abbas vel alius, qui pro tempore fuerit michi (sic) et uxori mee legitime pensionem, que vulgariter dicitur libgedinge, videlicet sex modios Annone, quorum tres modii sint farris, residui vero tres Annone communis, que vulgo dicitur mekorn, singulis annis pro tempore vite nostre debet amministrare in reconpensam curiae prelibate. Conditionaliter etiam inter nos conditum est, quod cum unus ex nobis ex nutu omnipotentis dei de hoc seculo migraverit altero superstite, dimidia pars frumenti a predicto domino Abbate debet defalcari. Cum autem viam universe carnis ambo ingressi fuerint, pensio predicta in usus monasterii prenotati totaliter tenetur reverti. Testes autem, qui huic collationi, ordinationi et resignationi interfuerant, sunt isti: dominus R. comes de Sanegans iunior, dominus decanus fabariensis, dominus de wolfurt, dominus Manstoch, dominus R. de Grabs, Conventuales Monasterii prelibati, dominus H. de Schellenberg, dominus R. dictus Ramung, rector Ecclesie in Mure et viceplebanus eiusdem Ecclesie, Uolricus pedagogus domini R. comitis predicti, Johannes rector Scholarum fabariensium, Johannes de Trison, Hertwig dictus Schorand, et alii quam plures fidedigni. Et in omnium prescriptorum testimonium ego sepedictus Swigerus de Schellenberg meum Sigillum presentibus duxi appendendum. Datum Fabarie anno domini M^o CCC^o V^o Xmo Kalendas Octobris Indictione III^a

Zu freier Uebersetzung: Allen Christen, welche gegenwärtige Urkunde sehen oder lesen hören, anbietet Ritter Swiger von